



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE ***IN SICILIAE*** CAPITULARIS ECCLESIA SANCTI SEBASTIANI MARTYRIS,  
IN EPISCOPALI IACA REGALI EXTANS URBE,  
AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – In Siciliae  
vetustissima, pulchra et clara laca Regali urbe insignis quidem exstat capitularis ecclesia Sancti Sebastiani martyris,  
caelitis Patroni eiusdem civitatis, quae structurae genere «Baroco Siculo» annis MDCXCIII-MDCXCIX post gravem terrae  
motum iterum aedificata atque artis operibus ornata miris – picturis praesertim ac statuis –, nunc notum est centrum  
spiritualis vitae operumque pastoralium, sacrae liturgiae et caritatis. Qua re, cum Venerabilis Frater Iosephus Malandrino,  
Episcopus Iaciensis, litteris die XVIII mensis Septembris hoc anno datis, etiam Decani-Rectoris ecclesiae clerique  
populique sui nomine petiverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, paternae  
benevolentiae Nostrum tum illi sollerti Praesuli tum dilectissimis filiis eius concreditis curae cupientes praebere, admotis  
precibus censemus libentes obsecundare. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina  
Sacramentorum Nobis proposita, quam ratam habemus, Apostolica summa usi potentate, harum Litterarum virtute,  
perpetuumque in modum capitularem ecclesiam, de qua mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris  
decoramus, cum omnibus iuribus et liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt,  
iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX  
editum, servanda sunt. Has denique Litteras Nostras sive nunc sive in posterum ratas ease volumus, contrariis  
quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Decembris,*  
*anno MCMXC, Pontificatus Nostri tertio decimo.* ANGELUS SODANO, archiep.  
Prosecretarius Status © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana